



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE X. SEPTEMBRIS.



Enuâ, a. d. 29. Julii.

Post discessum hinc Prioris de Ilderis ad Aulam Florentiæ, nepos ejusdem Eques Melitensis pariter hinc abiit ad Meli-

tensem insulam, exemplo diversorum Ordinis prædicti Equitum, ex quo novus Ordinis Magister omnes sine discrimine ad barbaris resistendum accersivit. Quanquam Sultanicæ naves Turcicæ ac piraticæ Algeriæ, Tunetanæ ac Tripoli- næ ab insulâ Melitensi discesserint, audito Magistri Ordinis responso vel maxime generoso, quòd in casum insultus eas vellet salute tormentorum forsan inamœnâ excipere, neque ad insulam contra quoscunque aggressores strenuè propugnandam nervus c. ficeret, ac

omnem potiùs fortunæ aleam subire peratus foret, quàm superbis Turcarum postulatis, ut mancipia jure belli capta indilatè restituat, annuere; absque eo insula Melitensis apprehendit aliquale periculum, quòd fortè classis Turcica, pluribus augenda barbarorum navibus, ante reditum ad Dardanellas Meliten hostiliter revisere destinârit.

Hamburgo. a. d. 11. Augusti. De 24tâ Julii refertur Petropoli, ac identidem confirmatur nuntius, Casanâ & Astracanâ nuper redditus, quòd Russi cum formidando robore navali ac campestri motus faciant ad molimen exequendum tam Czaro Russiæ gloriosum, quàm Europæ toti obstupendum. Rumor seminatus, quasi & naves bellicæ à Czareâ Majestate relicte tam Revaliæ, quàm
in

in portu Gronsclotenſi altum intraverint, prætaſtis à litteris, deſuper taciturnis, ne verbo confirmatur. Ceterùm accepimus, quòd infelix Rex, ſeu Sophus Perſiæ, ad notitiam Czaro deduci fecerit deſideria ſua cum ipſâ Majeſtate Czareâ oretenus quid conferendi.

Alia, a. d. 13. Auguſti. Abhinc biduo neonatus Princeps Regis Pruffiæ Berolini ſub Aulæ totius præſentiâ per D. Andreæ præconem Aulæ primarium ablutus eſt fonte baptiſmali, nomen Auguſti Wilhelmi conſecutus. Inter nationes Ruſſicam ac Sueciam commercia magis magisque proficiunt. In captivis Suecis è Moſchoviâ remiſſis in Sueciam reperitur Signifer, qui ſub Coronæ Suecicæ vexillis jam 68. annos meritus, & 98vum ætatis annum aſſecutus, adhuc eſt vigorofus; qui & ulteriora Regi ſervitia præſentavit; aſt parato quodam peculio, & liberali penſione annua ipſum Rex impertiit.

E Tractu Danubii, a. d. Auguſti. Turcicus Damasci Gubernator majori Sultano ex officio intimâſſe dicitur, quòd Primores ac populus Arabiæ contra ipſum inſurgendi conſilium foveant, idemque exequi decreverint, niſi grandis ſumma peculii, quam prætendunt ex capite liberi per Arabiam tranſitûs ſeu ambitûs Turcici Mecham ad tumbam Mahometis (quæ Proceſſio, ſeu barbarâ voce *Caravana*, quotannis eò peragitur) ipſis indilatè juxta promiſſum exſolvatur. Præter famoſum Mereweis, caput Perſarum rebellium, qui majorem Perſiæ diſtrictum ſuæ poteſtati ſubmiſit, Tartari Acqueſtani civitatis Ervanæ incumbunt cervicibus, ſub Duce militari, Daond nominato, eamque urbem in ſuam redacturi poteſtatem; abſque eo certus ſic vocatus Cadi

de Macade in Felice Arabiâ cum valido exercitu Kirmanenſem invaſit provinciam, Perſicos ad fines ſituatam. Fertur & primipilus Perſarum rebellium de Mereweis urbem Iſpahanam proſus expilâſſe, mercatores pariter Armenios, Gallicos, Anglicos & Hollandos, in ſuburbiiſ habitantes, pari licentiâ prædandi appreſſiſſe; ſicut Perſiæ vix reſtet primæ formæ ac fortunæ veſtigium.

Londino, a. d. 14. Auguſti. Nuperâ Mercurii, Regis noſtri ad Coronam eveſti anniverſariâ, Princeps de Galles ejuſdemque Sereniſſima Conjux, externorum copia Miniſtrorum, Nobilitas & potioris notæ Proceres amiciſti feſtivo habitu Kenſintonam ſeſe contulerunt ad Regiæ utrique Majeſtati de ſuper optimè comprecandum; quo mane omnes urbis Eccleſiæ ſunt impletæ feſtis ex ambone ſermonibus, à prandio ſucceſſit è turribus & areâ tormentorum fragor iteratus, ac extenſa ſuper Eccleſiis labera volitârunt. Veſperi circa 7mam exercitus in acie complauſit ter ex ordine bombardis ac canônibus; deinde paulò ſeriùs urbs tota illuminationibus coruſcavit, omnibûſque lætitiæ ſignis exultavit. Duo natione Hiberni, à Colonello de Stanhope extraordinario Angliæ penès Aulam Madritenſem Legato huc expediti, retulerunt, contra perſonam Regis Hispaniæ ejuſque Regimen fuiſſe conſpiratum, aſt dolum maturè patefactum.

Parifiſ, a. d. 14. Auguſti. Domini de Sainctor & de Remond Introductores Legatorum ad Regis alloquium nuper conteſtati ſunt aſperius contra Dominum de Marpré Introducctorem Miniſtrorum externorum ad aſſatum Ducis ac Ducisſe Aurelianenſis, occasione audienciæ particularis Legatorum Reip. Venetæ, & publicæ Legati Melitenſis; qui

quibus ita contestatis ac protestatis, Dux Coronæ Regens definivit, quòd imposterum Introductores ad Regis ef-
 fatum Ministros externos deducere ad publicum Ducis ac Ducissæ alloquium, Dominus verò de Marpré ad audientiam particularem debeant. Palàm asseritur, conclusum esse pactum nuptiale inter Carolum Infantem Hispanicum & Domicellam de Beauolois Filiam Ducis Aurelianensis, ac cursores primam hujus Madrito huc ingressum, de super Aulæ Madritensis consensum attulisse. Qui Archi-Episcopus Rhemenfis ante biduum solemniter ritu consecrandus fuerat, jam prius Dominicam sequente, hujus 23tiâ, consecrandus venit; Litteræ hic visuntur de 26tâ Junii datæ Constantinopoli, quòd de mandato Sultani Turciæ naves instruantur ibidem apparatu militari, ut per mare Euxinum armatura, munitio & instructus olentes hostilia, transferantur in fines Persiæ. Per litteras pariter Ispahanâ datas accepimus, quòd, exercitu persarum Regis profligato dispersoque, rebellium Dux ac caput de Miriweis, dictam Regni Persici urbem primariam seu metropolin facile occupavit; quòd & ab Armeniis in arce Zulfâ stabilitis, præter enorme tributum in ære dependendum, 500. filias juventutis exegerit.

Alia, a. d. 17. Augusti. D. de Libois Nobilis ordinarius Regis hinc discessit ad arcem Villeroiam, perlaturus ejusdem nominis Marescallo Regium mandatum sese conferendi ad suum Regimen Gallico-Lugdunense, quò Marescallus ac Governator perdictum Nobilem ededucetur, atque ad novum usque mandatum remanebit, pensio etiam 6000. librarum, dicto Marescallo per gem attributa, confirmatur. Comes Northworth primarius Angliæ ad pacis

causam Plenipotentarius Londino huc ingressus, hanc septimanam viam tenebit Cameracum. Mercurii lapsa, Rex impendit honorem ac gratiam Marchioni de Saillant militiæ suæ Chiliarchæ contractum nuptialem cum Domicellâ de Maulevrier Colbert initum subsignandi. Sabbathi præteritâ, Divæ Virgini Assumptæ sacrâ, in Parochiali Ecclesiâ Versallensi Rex noster primam vice sacrâ Synaxi refectus fuit Cardinale de Rohan ministrante. Altedicta Majestas Dominum Bignon & 5. alios Statûs Consiliarios nominavit ad unctiois suæ festivo Actui assistendum, à quibus & aliis primæ classis Proceribus tam habituum profamiliam confectio, quam alii apparatus splendidi maturantur.

Hagâ Comitum a. d. 18. Augusti. Rex Hispaniæ, præter morem, Secretario Reip. hujus Belgicæ concessit secretius suum alloquium tam diuturnum, quam apprimè gratiosum; in quo Rex altedictus fuit apertè contestatus suum in Belgicos Status Generales animum vel maximè propensum, & in passibus bene merendi voluntatem. Confirmatur identidem, quòd Curia Londinensis obstinavit animum, non reditura Hispanis sive Portum Naonis, sive Gibraltaram, nisi armorum prævalens robur eò invitam obligabit; quæ generosa Britannorum mens est ad gustum Belgii Federati Statuum, qui conantur omni viâ & viribus confirmare Aulam Britannicam in hoc proposito neutrum ex palmaribus hisce locis abdicandi, dum illi advivum repræsentant, quam atrox & irreparabile damnum hæc cessio importare possit utriusque nationi maritimæ in puncto commercii.

E tractu infer. Rheni, a. d. 20. Augusti. Princeps Elector, Trevir. non ita pridem di-



digressus Confluentiâ, in transitu ivit vivere Fratrem suum Electorem Palatinum in Aulâ Schwetzingensi, cum Aulico firmate perrecturus Neissam in Silesiâ, ad tempus notabile in suâ ibidem spectabili arce cogitan residere. De 13tiâ accepimus Ratisbonâ, quòd Legatis Statuum Evangeliorum S. R. Imperii. nondum ab Aulis respectivè suis transmissa sit legalis instructio circa Imperiale Decretum recentius in famosâ Religionis materiâ; qualis tamen instructio ipsis transmittenda creditur, postquam Aulæ Russica, Britannica & aliæ consortes desuper quid certi resolverint.

Alia, a. d. 24. Augusti. Quandoquidem Coloniâ Ubiorum pro implemento Legionum Suxæ Majestatis Catholicæ tironum conscriptio non finè optato successu continuet, jamtum notabilis eorum numerus ad signa propria est deportatus. Status Julix ac Montium, in civitate Dusselanâ congregati, ad Schwetzingensem pro tempore Aulam Electori Palatino cursorem destinârunt cum nuntio de suo consensu præstito, ut Serenitas Sua ex utrisque Ducaribus 600000. imperialium summam levet. Quanquam Porta Turciæ contestetur fidem animûmque sanctè standi pactis in tractatu novissimo Passarovicensi; grandes tamen belli apparatus instruit. Major quòque Vezirius Legato Coronæ Polonicæ fidem addixit publicam, Sultano esse integrum ac serium amicitiam cum illâ Republicâ sinceram colere; ad quod confirmendum, destinavit cursorem Hano Tartariæ cum mandato, nihil hostile contra Regnum attentandi. Nuntii quidem privatorum disperguntur, quasi rebellium persarum globus expilârit Astracanam; saniores tamen

refragantur, quòd eam Regni Metropolitin potestati suæ ne quidem submitterit. De 15tâ hujus refertur ex Helvetiâ, quòd extraordinarius cursor ab Aulâ Londinensi expeditus cum gravioris momenti litteris ad Taurinensem advenerit; quod & Rex Sardinix varios canônnum libratores Calliaram aliisque ad Sardinix insulæ arces transmiserit, subdolo cuivis molimini occursurus. Hagâ Comitibus de 21. currentis datæ memiuerunt, Dominum de Bosch Hamburgi Residentem Statuum Belgii Unitorum misisse copiam seu extractum resolutionis captæ à Senatu ejusdem civitatis, tenore cujus prætendit ac decernit Magistratus, quòd in dicti Residentis inibi sacello non debeat Reformata exerceri Religio, nisi unice ac privativè pro se suisque domesticis, nullis verò aliis seu indigenis; qui proinde Decreti extractus est traditus ad manus Deputatorum pro causis extraneis, ut, prævio desuper examine, Ordinum confessui referatur.

Viennâ, a. d. 5. Septembris. Quæ hâc in Augustâ & suburbis fervent Cæsarea sub signa militum scriptiones, multorum tironum accessu fortunantur, ita quidem, ut Jovis præteritâ quàm plurimi, cæsareis hic adscripti signis, ad legiones suas numero instaurandas sint ablegati.

Pofonii, a. d. 10. Septem. Eminentissimus Cardinalis Dux Saxonix, post peractam in festo nativitatis B. M. Virginis singularem devotionem in valle mariano, quam sabathi præteritâ, Viennâ ingressus, ad nos hesternâ reversus, qua & Eminentissimus Cardinalis è Comitibus Czaky è castello suo Majorbellensi huc se recepit.

